

Quod est officium Christi?

Commodissime his quatuor appellatis exprimitur officium: Christus est mediator, redemptor, iustificator et saluator. Mediator est respectu perpetuae intercessionis, qua et initio deprecatus est pro genere humano post lapsum et se ad poenam sustinendam obligauit et adhuc pro ecclesia a fidice interpellat. Redemptor dicitur respectu satisfactionis, qua λύτρον seu precium aequivalentem aeterno Patri pro peccatis generis humani persoluit et iusticiae Dei satisfecit et iram placuit praestita obedientia et poenis in se translati.

<sup>1</sup> Quomodo Christus sit iustificator noster seu iustitia nostra arrossum a Chemnicio<sup>98</sup> extat in Enarratione epistolae ad Romanos cap. 3. Tomo 4. operum Philippi, pagina 92 et in Enarratione symboli Niceni. Tomo 2. operum Philippi, pagina 327. Praecipue uero Tomo 4. operum Philippi, pagina 454.<sup>99</sup>

Iustificator est respectu applicationis sui meriti, quia propter ipsius passionem et mortem iustificamus coram Deo, id est accipimus remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, imputationem iustitiae et acceptationem ad vitam aeternam. Deinde et respectu efficaciae est iustificator, quia in his, qui sunt reconciliati, simul restituit iustitiam et vitam aeternam, quae etsi in hac vita tantum inchoatur, tamen postea consummabitur in altera vita. Postremo salvator dicitur respectu miranda gubernationis ac defensionis ecclesiae in hac vita. In primis vero respectu finalis liberationis et glorificationis ecclesiae post resuscitationem ex mortuis.

<sup>k-k</sup> Marginalie nur in F, G.

<sup>98</sup> Vgl. die „Treuhertzige Warnung“, B 4v–C 1r, unsere Ausgabe, Nr. 3: Treuhertzige Warnung (1571), 303.

<sup>99</sup> Vgl. Philipp Melanchthon, Enarratio epistolae Pauli ad Romanos (1556), in: CR 15, 883; Philipp Melanchthon, Enarratio symboli Niceni (1550), in: CR 23, 338f; Philipp Melanchthon, Explicatio symboli Niceni (1557), in: CR 23, 448–452. Die Seitenzählung bezieht sich auf die zeitgenössischen Ausgaben OPERVM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS, PARS QVARTA [...], Wittenberg 1564 (VD 16 M 2335), 92. 454 und OPERVM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS. PARS SECUNDVA [...], Wittenberg 1562 (VD 16 M 2333), 327.